

tores reliqui concurrentiam cum Catone sibi arrogat, & ad eam obtinendam judicialiter agunt?

g. Dubitari non potest, Catoni competere privilegium accipiendi integram solutionem pro vendita domo, antequam vel obolus solvatur reliquis creditoribus; injuste proin & absque omni fundamento petunt concurrentiam cum Catone. Qui vendit, non censetur transferre dominium rei venditæ in emptorem, nisi sub conditione pacti pretii sibi ab emptore persolvendi. *Pontas.*

Vide *Hypotheca.*

CASUS VII. Imperator Moscoviæ sanxit legem, qua omnes calumniatores in poenam illatæ proximo injuriæ condemnat ad fustigationem. Quidam Clerici in transgressione legis istius deprehensi ex motivo poenitentiae & animo humilitatem exercendi subjecerunt se poenæ huic corporali, renunciantes privilegio clericali, quo se eximere potuissent. Num peccarunt?

g. Certe non potuerunt absque peccato renunciare privilegio suo characteri ac statui annexo, maximamque injuriam intulerunt universo Ordini clericali, cujus membra erant, & ad quem proprie privilegium hoc pertinet. *Cum ille canon, inquit Innocentius III. Can. Contingit. 36. Lib. 5. Tit. 39. non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus. Personali autem privilegio quavis pro suo arbitrio renunciare potest. Pontas.*

PROCURATOR.

1. *Procurator* ad causas dicitur ille, qui jus habet repræsentandi personam, cujus causam in judicio tuetur: ministerium ipsius ultra instructionem processus se non extendit. Et hinc, dum agitur de conditionibus proponendis aut acceptandis, de liberanda re arresto subjecta, de venditione, de compromisso, de affirmatione jurata, de commodatione nominis sui ad falsum, de conflanda accusatione in aliquem, aut repudiatione judicis, potest recusari a parte sua, ac nomine proprio & privato condemnari ad damnum & interesse in favorem partis adversæ.

2. In multis religiosis Ordinibus Procurator vocatur persona a capitulo provinciali constituta, ad sollicitandas urgentesque causas & alia negotia monasterii. Denique *Procuratorem Mandatarium* vocant, qui negotia gerendi scriptam auctoritatem habet, id est, qui vel ex scriptura publica vel per privatum chirographum constitutus est ad gerenda utiliter

alte-

alterius negotia in causis civilibus vel ecclesiasticis. Atque de tali duntaxat Procuratore in presentiarum sermo est.

3. Qui gerit procurationem bonis moribus vel justitiæ contrariam, & exinde incurrit damnum aliquod, nullam habet actionem nec recursum ad constituentem; quia sine peccato acceptare ejusmodi procurationem non poterat, multo minus eam exequi.

4. Procurator strictè & ad literam debet sequi terminos & clausulas suæ procurationis. Potestas ipsius & officium expirat per revocationem procurationis ab eo momento, quo hæc ipsi fuit intimata. Cessat etiam per obitum ipsius procuratoris, & regulariter loquendo per mortem constituentis, si mandatarius aut procurator de obitu illius in tempore fuit certior factus, vel aliunde v. g. ex rumore publico eum facile scire potuit.

5. Procurator potest repudiare procurationem per declarationem *re adhuc integra* desuper factam; item quando constituens est satis capax, ut possit per semetipsum agere, vel alium constituere. Si acceptata procuratione vel neglecta declaratione de non acceptando constituens patiatur damnum aliquod, poterit contra procuratorem agere *actione mandati*.

6. Procuratio potest esse generalis vel specialis, terminis absolutis, vel pro determinato tempore aut sub aliqua conditione concepta; quo in casu procurator non potest agere post expirationem procurationis aut ante eventum appositæ conditionis.

7. Fœmina non potest acceptare procurationem absque consensu sui mariti; quia ejusdem potestati subjecta est: imo si ipse maritus esset mandans seu constituens, requireretur, ut in ipso instrumento procurationis dato uxori expresse contineatur, quod de consensu & auctoritate mariti procurationem suscipiat.

8. In materia Beneficiorum procuratio *ad resignandum* dicitur instrumentum illud, quo Beneficiatus resignat Beneficium suum ad manus legitimi Superioris in favorem alterius; habetque ejusmodi scriptura vim potestatis procuratoris respectu procuratoris in Curia Romana ad obtinendas provisiones Beneficii.

9. Potest capi possessio Beneficii per procurationem; debet autem procuratio esse dati anterioris & antiquioris tempore possessionis initæ.

CASUS I. Cassander procuratores sibi constituit Norbertum & Landfridum cum potestate transigendi cum Andrea comparte sua adversa super pluribus articulis causæ, quam contra ipsum sustinet. Post mensem Norbertus rerum forensium intelligentior atque peritior solus cum Andrea transigit, non communicato prius cum Landfrido consilio, ipsoque profus inscio. Valetne hæc transactio, ita ut etiam in foro interno Cassandrum liget?

ꝑ. Transactio hæc non est legitima, & nec in foro interno nec externo Cassandrum obligat: non enim soli Norberto cum Andrea transigendi potestas facta est, sed utriusque conjunctim, & neuter horum poterit dividere potestatem ex voluntate constituentis indivisibilem. *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt*, ait Lex *Diligenter*. 5. ff. Lib. 17. Tit. 1. *nam qui excessit, aliud quid facere videtur*. Pontas.

CASUS II. Claudius a Juliano cum potestate procuratoris Amstelodamum missus ad curanda ipsius negotia, ibidem mox ab adventu suo e vivis excessit. Filius Claudii patris in eo itinere comes, procurationem ad se transiisse ratus, gerit negotia Juliani. Teneturne rata habere Julianus, quæ pro ipso gessit Claudii filius?

ꝑ. Regulariter loquendo non tenetur, cum Claudii filius egerit absque mandato ac potestate: Leg. *Mandatum*. 57. ff. Lib. 17. Tit. 1. *Æquitas tamen naturalis postulat, ut, si in casu præsentis ageretur de negotiis celerem expeditionem deprecantibus, constituens rata habeat, quæ benevole, animoque promerendi gratiam constituentis gesta sunt*. Cum itaque Claudii filius bona fide egerit, non decet, ut Julianus acta improbet. Pontas.

CASUS III. Aventinus ad causam suam Venetiis agendam procuratorem constituit Thomam civem Augustanum, qui duorum mensium tempore litem hanc ad finem perduxit. Ubi ex itinere rediit Thomas, petit rescissionem 200. florenorum, quos in causa hac expendisse se testabatur. At Aventinus jam aliunde amaro animo, quod causa cecidisset, putans, nimias esse has expensas, non nisi centum quinquaginta solutum se consentit, cum ipse, si causam hanc agitasset, non plus expensurus fuisset. Recusat id Thomas. Teneturne Aventinus in conscientia exsolvere 200. florenos?

ꝑ. Licet ipsemet Aventinus minores forsan quam Thomas hæc occasione expensas fecisset, nihilominus tenetur rescire omnes sumptus, quos rationabiliter & bona fide Thomas fecit. *Impendia mandati exequendi gratia facta*, inquit Lex *Si quis*. 27. §. 4. ff. Lib. 17. Tit. 1. *restitui omnimodo debent: nec*

ad

ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere. Pontas.

CASUS IV. Alanus data Barnabæ speciali procuracione ad venditionem cujusdam fundi in remota provincia siti; moritur decimo quinto die a profectioe Barnabæ, qui nesciens obitum Alani paulo post fundum vendidit. Estne valida venditio hæc? Teneturne Alani hæres eam ratam habere?

ꝑ. Et legitima & valida est hæc venditio, nec potest hæres Alani eam improbare. Bona fides, quacum egit Barnabas, rebus ab ipso gestis tribuit effectum potestatis ab Alano factæ. *Utilitatis causa receptum est*, inquit Imperator Justinianus *Instit.* Lib. 3. Tit. 27. §. 10. *si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum; posse te agere mandati actione*. Alioqui *justa & probabilis ignorantia tibi damnum adferret*. Imo etiam si procurator rescisisset mandantis mortem; si tamen venditio non potuisset differri sine notabili damno hæredis v. g. si vendenda fuisset messis vel vindemia, nec potuisset prius hæres consuli, æquitas postularet, ut approbaret acta. Ratio est; quia sic mandatum exequens avertit grave damnum ab hærede, quod subiturus esset, si procuratio omitteretur. Pontas.

CASUS V. Victor, Vitalis & Valentinus constituerunt Godhardum procuratorem in negotio mercium nuper ex America advectarum. Confecta procuracione is petit compensationem laboris & expensarum a Victore; qui offert quidem solutionem tertie partis, & pro reliquis duabus tertis eum remittit ad Vitalem & Valentinum. Godhardus autem petit integram solutionem a Victore. Potestne salva conscientia persistere in sua petitione? Num Victor ad integram solutionem tenetur?

ꝑ. Justa est petitio Godhardi, Victorque tenetur ad solutionem totius debiti, salvo tamen recursum ad Vitalem & Valentinum: cum enim plures constituerunt procuratorem in eodem negotio, singuli erga ipsam obligantur in solidum ad solutionem expensarum, licet de hac obligatione in mandato non fuerit facta expressa mentio. Leg. *Si mandata*. 59. §. 3. ff. Lib. 17. Tit. 1. *Paulus respondit, unum ex mandatoribus in solidum eligi posse, etiamsi non sit conceptum in mandato*. Pontas.

CASUS VI. Maurilius domicilium suum in Angliam translaturus, ante abitum suum reliquit Sigeberto mandatum generale administrandi bona sua. Post sex menses simile mandatum dedit Lieboldo, non commonito desuper Sigeberto;

to; qui, licet id comperisset, nihilominus persecutus est munus procuratoris, & fructus ex Maurilli fundis collectos vendidit Petro, quos eodem pene tempore Lieboldus vendidit Paulo. Cujusnam venditio est de jure valida?

3. Valet venditio Lieboldi: postquam enim Sigeberto innotuit procuratio in Lieboldum translata, nullum ille amplius habuit jus gerendi negotia Maurilli. Leg. *Si quis*. 31. §. 2. ff. Lib. 3. Tit. 3. *Julianus ait, cum, qui dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando priorem prohibuisse videri.* Si tamen Sigebertus bona fide eos fructus vendidit, non habens de secunda procuracione notitiam, Maurillus tenetur ratam habere eam venditionem. *Pontas.*

CASUS VII. Henricus ex Germania profecturus in Italiam constituit Landulphum generalem negotiorum suorum procuratorem & bonorum omnium administratorem. Is interea vi suæ procuracionis transegit cum Carolo super quibusdam juribus, quæ Henricus prætendebat sibi competere ad certam successorem; alienavit insuper fundum pro solutione alicujus debiti, quod Henricus contraxerat. Reversus in Germaniam Henricus noluit approbare, quæ quoad duo hæc capita temere a Landulpho gesta fuerunt. Rectene improbavit?

3. Mandatum generale ad gerenda negotia absentis non sufficit ad hoc, ut quis possit transigere super ipsius juribus, & alienare ejusdem fundos: quippe tam quoad transactionem quam quoad alienationem requiritur speciale mandatum. Quoad transactionem dicitur Leg. *Mandato*. 60. ff. Lib. 3. Tit. 3. *Mandato Generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam.* Quoad alienationem habetur Leg. *Procurator*. 63. ibidem: *Procurator totorum bonorum, cui res administrandæ mandata sunt, res Domini neque mobiles vel immobiles sine speciali domini mandato alienare potest.* Ratio est; quia transigendo & alienando minuuntur bona constituentis; procuratori autem licet quidem conditionem constituentis facere meliorem, sed non deteriolem. Leg. *Pæterea*. 3. ff. Lib. 17. Tit. 1. Excipiuntur tamen ab hac regula fructus, & quidquid lapsu temporis facile corrumpi potest. *Pontas.*

Vide *Possessio*. Caf. 6. *Restitutio*. Caf. 40.

PROFESSIO RELIGIOSA.

1. *Professio religiosa est protestatio publica & solemniter emissã ab aliqua persona in ordine ad amplectendam vitam*
regu-

regularem, & observanda toto vitæ tempore tria vota castitatis, paupertatis & obedientiæ. Vel potest dici extensius, quod sit publica & solemniter obligatio, qua semetipsum adstringit Religiosus ad observanda per omnem vitam suam consilia evangelica secundum regulam aliquam ab Ecclesia approbatam, emittendo tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ per protestationem publicam renunciandi negotiis ac occupationibus sæcularibus, bonis, honoribus & deliciis mundi, interdicto sibi omnium horum usu per pactum cum Deo initum, qui solus imposterum futurus est objectum cogitationum, cordis affectuum, & desideriorum Religiosi vel Virginis Deo dicatæ.

2. Ut valida sit professio Religiosi, requiritur, ut per annum integrum sustinuerit Novitium, ut compleverit ætatis annum decimum sextum, & ut duæ partes tertiæ vel major & sanior pars capitularium votis suis in professionem ipsius conspirent.

3. Minorennis potest emittere professionem non obstante qualicunque oppositione parentum ipsius. Attamen respectu puellarum regula hæc non procedit, nisi ex iudicio Ordinarii vel Vicarii generalis vocatio Novitiæ habeatur ac pronuncietur legitima, & insuper emittenda ab ipsa professio sit ex omni parte libera. In casu dubii sequestranda interim est, donec veritas pateat.

3. Professio solemniter inducit mortem civilem, præbetque locum substitutioni testamentariæ. Ea probari non potest per testes, sed per instrumentum scriptum authenticum.

5. Professio alia est *expressa*, & alia *tacita*. Hæc posterior in Gallia non habetur pro valida, etiamsi quis religiosum gestasset habitum per triginta annos.

6. Licitum est in certis casibus reclamare contra solemnem professionem ad ejus nullitatem probandam: motiva reclamationis possunt esse metus gravis, vel defectus ætatis. Tridentinum determinavit primum quinquennium currens a die emissæ professionis in ordine ad ejusdem valorem impugnandum. Juxta idem Concilium, qui habitum Religionis seu Ordinis sui dimittit, non potest recipi ad impugnandam professionem suam, nisi antea redierit ad monasterium suum.

7. Omnes regulæ monasticæ prohibent, ne quidpiam exigatur a petentibus recipi in religionem. Verumtamen, si solam regulam S. Fructuosi Episcopi Bragensis exceperis, omnes reliquæ acceptari permittunt, quæ vel a candidatis vel eorum parentibus aut consanguineis ultro offeruntur. Omnes olim exactiones indiscriminatim fuerunt ab Ecclesia habitæ

pro simoniaco; cum autem numerus aspirantium ad vitam regularem notabiliter cresceret, & bona foundationis ad sustentationem omnium ad monasteria confugientium haud amplius sufficerent, ac insuper Religiosi a successione in bona parentum ac consanguineorum suorum excluderentur, quo jure in pluribus monasteriis prius gaudebant, relaxata demum fuit antiqua hæc severitas; docetque S. Thomas, quod, si monasterium sit valde indigens, liceat tunc exigere, quantum pro subsistentia aspirantium requiritur, nihil tamen ultra necessarium peti possit. Hanc regulam etiam statuit S. Carolus Borromæus in Concilio suo Mediolanensi l. habito 1565.

Nota. Hisce temporibus non solum in Gallia & Italia, sed etiam in Germania passim a Principibus determinata summa v. g. 1000. vel 2000. florenorum, ultra quam acceptare quidpiam severissimis poenis interdictum; licet inter quinquaginta candidatos vix unus, cuius dos eo ascendat, imo vix unus inter viginti novitios, qui vel florenum secum monasterio inferat.

CASUS I. Majoranus anno ætatis suæ decimo sexto cum d' midio assumpsit habitum religiosum in quodam conventu S. Francisci die primo Januarii anno 1782. vergenteque ad finem novitiatu instantissime rogat, ut sibi liceat sacra Deo vota nuncupare sequenti trigesimo vel trigesimo primo Decembris, qui dies ipsius natalis est. Poteritne id ipsi permitti?

R. Neutiquam id concedi potest Majorano; professione ipsius sic emissa foret nulla. In materia novitiatus & professionis quam rigorosissime observanda est dispositio juris statuentis, ut annus novitiatus sit totaliter completus ad hoc, ut liceat emittere professionem. Alexander III. Cap. *Ad nostram*. 8. Lib. 3. Tit. 31. Juxta Fagnanum in cit. cap. si vel pauculæ horæ deessent novitiatui, professio nullitatis vitium contraheret. Non est paritas inter receptionem Ordinis & professionem religiosam: nam si respectu Ordinum annus solum inchoatus sumitur pro completo, id fit ratione dignitatis, ad quam quis per Ordines evehitur. In dignitatibus favor consideratur, inquit Glossa, & ideo annus inceptus pro completo habetur: sed in regulæ observatione gravitas est & labor, & sic odium; & ideo annus completus exigitur. Pontas.

CA-

CASUS II. Selencus indutus habitu novitii in quodam conventu S. Francisci die primo Januarii anni bisextilis, poteritne facere professionem die trigesimo primo Decembris ejusdem anni?

R. Non foret valida professio: nulla enim habetur ratio diei illius, qui intercalatur in Febuario, sumunturque duo illi dies, qui notantur *bis sexto ante Calendas Martii*, pro unico. *Id biduum*, ait L. *Cum bis sextum* 98. ff. Lib. 50. Tit. 16. *pro uno die habetur; sed posterior dies* (scilicet 25. Februarii) *intercalatur, non prior, id est, addit Glossa, non computa ut pro die, & hoc quantum ad actus, & anni terminum.* Pontas.

CASUS III. Aurelius absoluto integro novitiatus anno in monasterio Religiosorum reformatorum unanimi totius capituli consensu admittitur ad professionem, quam solemniter actu in manibus Superioris deposuit. At vero post menses sex ad instantiam conventus electio hujus Superioris declaratur nulla ac irrita, utpote contra canones facta. Estne valida Aurelii professio?

R. Sicut professio quæcumque solemniter absolute nulla est, quando fit ab eo, qui se obligare non potest Religioni, ut est servus vel conjugatus &c. ita non potest esse canonica aut valida, si non fuit acceptata ab eo, qui habet jus Religionem obligandi professio, hoc est, a Superiore legitimo: nam profitens pro toto vitæ tempore se obligat ad vitam religiosam, & ad observationem omnium regularum Ordinis, in quem fuit receptus; & hic ipse Ordo se obligat profitenti ad communicanda omnia jura, gratias, emolumenta, favores ac privilegia Ordini annexa. Jam vero ejusmodi obligationes non possunt contrahi nisi ab illis, qui habent potestatem eas ineundi. Cum igitur Religiosus ille, qui tempore professionis Aurelii Superiorem se esse prætendebat, verus Superior non esset, non potuit obligare Religionem Aurelio profitenti, sicut Aurelius se se obligaverat Religioni. Et consequenter, quia obligatio non fuit reciproca ex defectu legitimæ potestatis in eo, qui nomine monasterii professionem recepit, nulla est ex parte Aurelii, sicut fuit nulla ex parte illegitimi Superioris. Pontas.

CASUS IV. Ladislaus annos fere octodecim natus cum septem jam menses in Novitiatu transisset, convenit Capitulum, eumque declaravit ad Religionem ineptum, ac iussit, ut se disponat ad recipiendum habitum sæcularem ac relinquendum monasterium. Recurrens autem ad Desinitorium denuo admittitur ad inchoandum de novo novitiatum.

NUN

Nunquam a primo ingressu dimisit habitum religionis, nec monasterium, in quo habitum assumpserat; & post quinque vel sex menses unanimi Capitularium consensu ad sacram professionem admittitur, condonatis ipsi residuis sex vel septem mensibus. Estne valida ipsius professio?

ꝑ. Est sine dubio valida, ut Sylvius resolvit Resol. var. V. *Professio monastica* 6. habet enim competentem ætatem, & explevit suum novitium nunquam dimisso habitu. *Pontas.*

CASUS V. Bernardinus septemdecim annos natus, novitius cujusdam monasterii, herna affectus cum aliis quatuor connoviitiis solemnem professionem emisit, quin defectum hunc Superiori detegisset, qui tamen singulis expresse declaravit, se non habere intentionem acceptandi professionem illius, qui occulta aliqua infirmitate corporali laboraret. Obestne hæc declaratio valori hujus professionis, maxime si etiam statuta loci prohibeant ad professionem admitti eos, qui huiusmodi infirmitate affliguntur? Potestne talis Religiosus post quatuordecim aut quindecim annos ab emissâ professione ex suo monasterio aut Ordine discedere?

ꝑ. Valida est Bernardini professio tam ex ipsiusmet quam ex parte Superioris. Protestatio Superioris, quæ sola posset obstare valori professionis, non potest esse prætextus nullam declarandi professionem, nisi in casu, quo defectus occultus Religiosum redderet inhabilem ad exercitia & onera Religionis. Ponitur autem in casu, his omnibus Bernardinum satisfecisse per annos quatuordecim aut quindecim. *Pontas.*

Vide *Ordo*. cap. 25.

NOTA. Videtur, professionem hanc esse invalidam; quia præsumendum, quod Superior & Capitulares in admissione Novitii, ad professionem ac in prævia declaratione non ipsi eventui, sed periculo sinistri eventus suam alligaverint intentionem.

CASUS VI. Galeatinus Novitius Cisterciensis falsum exhibuit testimonium baptismale, & emisit professionem anno ætatis decimo quinto cum dimidio. Teneturne in conscientia vi professionis hujus invalidæ religionem ingredi aliam, aut renovare novitium & professionem in eodem monasterio?

ꝑ. Omnis religiosa professio ante ætatem requisitam facta, est nulla juxta Concilium Tridentinum Sess. 25. de regular. c. 5. Adeoque Galeatinus non tenetur amplecti statum religiosum in alio Ordine. Quod si vero professio nulla foret ex alia causa, v. g. si fuisset emissâ in aliquo Ordine, quem

quem novitius erronee existimasset approbatum a Sede Apostolica, licet re ipsa non sit approbatus, Canonitæ in varias abeunt opiniones: quidam enim teneant, teneri ipsum ingredi alium Ordinem; alii vero dicunt, professionem absolute esse invalidam, nullamque parere obligationem. Prior opinio pro conscientia videtur esse securior. *Pontas.*

CASUS VII. Navigius surdus & mutus a nativitate in quodam monasterio recipi petit ad novitium. Poteritne Superior cum consensu totius Communitatis ipsum admittere ad probationem, eaque completa ad professionem?

ꝑ. Triplici modo fieri potest religiosa professio, scilicet verbo, scripto & signo. Non reperitur ullus Canon, ex quo appareat, vivam vocem aut scripturam absolute requiri ad valorem professionis; consequenter permissum est tertio modo illam edere, nempe signo, juxta illud juris principium: *Omnes admittuntur, qui non expresse prohibentur.* Hoc supposito Navigius legitime profiteri potest; dummodo evidentia consensus sui signa edere valeat. Confirmatur id exemplo matrimonii, quod surdus & mutus valide contrahit, prout declaravit Innocentius III. Cap. *Cum apud*. 23. Lib. 4. Tit. 1. ubi ait: *Cum prohibitorium sit editum de matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur; videtur, quod si talis (surdus & mutus) velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari: cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Jus civile in hoc conforme est juri canonico. *Pontas.*

CASUS VIII. Scipio occultus hæreticus finito anno novitatus solemniter Religionem professus est. Redditne hæc hæretis professionem invalidam?

ꝑ. Juxta Sylvium V. *Professio monastica* 7. professio hæc non est invalida ob hæresin occultam; foret autem invalida, si hæresis esset notoria ac publica, juxta constitutionem Bonifacii VIII. cap. *Statutum*. 9. Lib. 5. Tit. 2. in 6. quam Theologus iste allegat, qui cum Laurentio Portelio dicit: *Novitius occultus hæreticus, si profiteretur in Ordine Minorum, non faceret professionem ipso jure nullam.* Nihilominus observat Sylvius, id esse intelligendum in casu, quo non detur statutum a Sacra Sede approbatum, quo professio Novitii occultæ hæretici declaratur nulla; aut Superior ipsum interrogans de orthodoxia non expresse declarat, intentionem monasterii non esse ipsum recipiendi ad professionem, nisi vere sit catholicus. *Pontas.*

CASUS IX. Flodoardus in quodam monasterio absolvit novitiatum, & ad professionem fuit admittus a solo Abbate contra voluntatem Capitularium omnium. Estne valida ipsius professio?

3. Si ex privilegio, vel consuetudine, vel vi statutorum Ordinis aut monasterii Abbas vel Superior habeat jus, ut solus & absque consensu Capituli possit Novitium admittere ad professionem, valida erit professio, etsi Capitulum in eandem nullatenus consenserit. Juxta hanc regulam igitur de validitate vel nullitate professionis Flodoardi judicium ferendum est. Ita docet Fagnanus in Cap. *Porrextum* 13. de Regular. n. 22. 34. & seq. Doctrina hujus Canonistæ fundatur in constitutione Bonifacii VIII. Cap. *Si ad solum*. fin. Lib. 3. Tit. 14. in 6. cujus verba sunt: *Si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit novus monachus a conventu creari: alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque.* Pontas.

CASUS X. Vigilianus suum novitiatum absolvit in monasterio S. Hyppoliti, & postmodum fuit admittus ad professionem a Superiore & toto Capitulo. Oritur paulo post rumor, ipsum affligi morbo caduco. Interrogatur itaque a Superiore, qui ipsi declarat voluntatem suam nullatenus esse recipiendi ipsum ad professionem, si res ita se haberet. Respondit novitius, nullum se unquam exinde passum fuisse incommodum, unde gravari monasterium potuisset; prostratum se quidem vi mali fuisse aliquoties durante novitiatu, neminem tamen unquam id observasse. Post emissam professionem ex hoc morbo lapsus est quinquies vel sexies intra unius anni decursum; quare Superior ipsum cogitat dimittere ex prætextu, quod invalida fuerit ipsius professio. Potestne hoc prætextu ipsum expellere?

3. In casu proposito solus Vigilianus consensit in professionem; cumque Superior ipsum non aliter nisi conditionate admitteret, juxta Sylvium l. c. poterit dimitti. Dum autem fit dimissio, magna adhibenda est prudentia, ut omne præcaveatur scandalum. Pontas.

CASUS XI. Defuncto Abbate monasterii S. Pontii, Religiosi in Capitulo congregati vacante adhuc abbatiâ sede simplicianum ad professionem recipiunt. Estne valida hæc professio?

3. Quando jus admittendi ad professionem pertinet ad solam Abbatem, Capitulum regulare post ipsius obitum neminem poterit admittere; potest vero, quando hoc jus pertinet cumulative ad Religiosos & Abbatem. Ita Bonifacius

cius VIII. Cap. *Si ad solum*. supra citato. Pontas. Vide Cas. 9.

CASUS XII. Hipparchus annos non nisi quindecim completos natus, ingressus est monasterium cujusdam Ordinis in Occitania florentis, in quo habitus Novitiorum nihil differt a Professorum habitu. In hoc monasterio per biennium sponte & cum plena advertentia ac cognitione omnes functiones solis professis proprias obivit. Estne habendus propterea pro tacite & valide professio?

3. Jus distinguit tria professionum tacitarum genera: *primum* est, quando quis sponte & cum perfecta cognitione peragit functiones Religiosis professis de jure vel consuetudine proprias, ut est v. g. dare votum in Capitulo, recipere Ordines vi obedientiæ Superioribus præstandæ instar professorum; *secundum*, quando quis assumpto professorum habitu eundem per triduum continuum gestat; *tertium* denique, dum quis annos pubertatis adeptus per integrum annum post absolutum novitiatum portavit habitum religiosum Novitii & professis communem, ita ut nullum quoad exteriora discrimen reperiat. Putant aliqui Theologi, Tridentinum tantum abrogasse duo prima genera professionum tacitarum; alii vero cum majori fundamento contendunt, illud nedum duo hæc, sed tertium quoque abrogasse. Nulla professio debet haberi pro valida, quam quæ transacta & vere completo anno 16. ætatis expressè emittitur post integrum annum novitiatum. Adeoque Hipparchus non ligatur hac sua qualicunque tacita professione. Caballutius Jur. Can. Theor. & prax. l. 1. c. 20. n. 10. memorat, in Gallia huic doctrinæ tam firmiter insisti, ut testamentum conditum ab eo, qui habitum religiosum jam per viginti & octo annos portaverat, publica auctoritate validum declaratum fuerit ac legitimum; eo quod professionem expressè nunquam emisisset. Pontas.

CASUS XIII. Aurelia novitia in quodam monasterio ab uno & amplius anno, examinata ab Episcopo diocesano & ad professionem admittitur, in morbum valde periculosum incidit. Priorissa in defectu Abbatissæ, quæ & ipsa gravissime ægrotans jam pene ad extrema redacta erat, timens, ne novitia ante professionem e vivis excederet, propria sua auctoritate facit ipsam profiteri solemniter in præsentia duarum vel trium monialium, dissimulans votum perpetuæ clausuræ ab eadem pariter exigendum & emittendum. Moritur interim eodem ipso die Abbatissa; Aurelia vero post electionem novæ Abbatissæ pristinae sanitati redditur. At vero tam hæc, quam pleræque cæterarum monialium nolunt eam agnoscere

pro professa, deque ipsa dimittenda consilium ineunt. Potestne Aurelia expelli tuta conscientia?

3. Professio Aureliæ est nulla & quidem ex principio indubitato; quia videlicet fuit recepta a Superiorissâ eam recipiendi jure destituta; & hinc absque ullo scrupulo dimitti poterit. Ex eadem ratione Aurelia non tenetur persistere in monasterio, etiamsi recens electa Abbatissa & tota Communitas eam retinere vellent; idque propter defectum legitimæ acceptationis. *Pontas.*

CASUS XIV. Clara filia Balduini sexdecim annos nata ingreditur monasterium. Pater promittit quingentos florenos pro vestitu, mensa & impensis novitiatus solvendos, ac insuper centum alios tanquam pensionem usufructuariam ad dies vitæ dotis loco. Admittitur ergo ad professionem per conclusum Capitulare tum Superioris monasterii, tum Superiorissæ, utriusque proprio etiam chirographo confirmatum: interim vero ante solemnem professionem gravi morbo corripitur, & jam morti proxima instanter rogat, ut priusquam moriatur, vota sua solemniter præmittere sibi concedatur. Annuente Superiorissâ & monialibus omnibus pronunciat formulam professionis in suo lecto & pene moribunda, sed tamen cum pleno rationis ac sensuum omnium & potentiarum usu. Sanitati præter spem omnem reddita, per integrum annum tractatur ut aliæ professe absque ullo discrimine; postea vero ex consilio sui confessarii gratiam sibi a Superiorissâ fieri supplicat, professionem suam nuper factam cum solemnitatibus & formalitatibus alias consuetis renovandi. Qua petitione audita Superiorissâ Balduinum vocat, ab eoque mille argenti libras exigit, quas Balduinus daturum se negat. Repulsam hanc iniquius ferens Superiorissâ, oretenus præcipit septem vel octo monialibus suis, ut detracto Claræ velo & profellarum habitu sæcularem ipsi habitum redderent; tum ex locis regularibus abire jussa, paulo post etiam ex toto monasterio a duobus domesticis abstrahitur sub prætextu, quod vota sua distincte non pronunciauerit. Quæritur jam, an Clara pro moniali vere professa sit habenda? An præcise ad supplendas omittas formalitates in prima votorum suorum nuncupatione teneatur renovare suam professionem? An Communitas, a qua fuit admissa ad professionem, habeat jus revocandi absque auctoritate Superioris monasterii conclusum Capitulare admissionis cum debitis formalitatibus & chirographo confectum ac munitum? An Superiorissâ potuerit oretenus tantum præcipere, ut Clara spoliatur habitu religionis, ut absque consuetis formalitatibus,

tatibus, nec observato juris ordine e conventu expellatur? ac tandem: An detur locus appellationi ab hoc Superiorissæ verbali mandato ejusque executione?

3. 1. Absque omni prorsus dubitatione Clara est vere professa; cum nihil eorum defuerit, quæ essentialiter ad legitimam professionem requiruntur: habuit enim ætatem a Concilio Tridentino præscriptam, complevit integrum annum probationis ab eodem Concilio requisitum, emisit professionem cum plena cognitione & perfecto rationis usu, nec denique in ejusdem moribus occurrebat quidquam reprehensione dignum. 2. Neutiquam est necessarium, ut solemniter renovet vota sua; cum in prima illius professione nullus essentialis defectus intervenerit: essentia enim religiosæ professionis consistit in eo, ut quis se tradat actu Communitati regulari a Pontifice approbatæ, eaque traditio fiat in manus legitimi Superioris, & nomine totius Communitatis acceptetur ab eo, qui legitime præest Communitati: id autem omne contingit in dicta professione. 3. Nec Superiorissæ nec integræ Communitati competeat jus spoliandi ipsam habitu Religionis & expellendi ex monasterio. 4. Superiorissâ non potuit id præcipere, nec præcepti executionem imperare. Nec tamen consultum est confugere ad appellationis remedium, licet eidem absolute locus esset: magis naturale est, & Spiritui Ecclesiæ conformius adire Episcopum, cujus jurisdictioni monasterium subiacet, ut ipsius auctoritate Clara in sua jura ex integro restituatur. Observandum præterea est, Superiorissam, moniales, illosque domesticos, qui Superiorissæ mandatam executionem fuerunt, excommunicationem majorem ipso facto incurrisse, propositionemque Balduino ex parte Superiorissæ factam esse simoniacam, adeo ut si Balduinus fuisset persuasus de nullitate professionis, ejusque renovationem esse absolute necessariam, non potuisset salva conscientia & absque simoniæ crimine solvere illam summam simul cum dote expresse pacta. *Pontas.*

CASUS XV. Faustinus solemniter professus est, sed invalide; & postquam post anni lapsum professionem suam ratam habuerat, a Sede Apostolica obtinuit rescriptum, quo vinculo votorum suorum solvebatur. Poteritne tuta conscientia rescripti hujus ratificationem sibi procurare, illiusque executionem petere?

3. Certum est, Faustinum non posse uti hoc rescripto: ejusmodi enim Brevia Pontificia semper continent expressam hanc clausulam: *dummodo professionem hujusmodi tacite vel* *Dist. Cas. Conf. Tom. III. L. expresse*

expresse non ratificaverit. Cum ergo Faustinus ratificaverit professionem suam, rescriptum obtentum nullum parit effectum, si habuit notitiam de nullitate professionis suæ eo tempore, quo illam ratificavit. Verum si illam ratificavit eo tempore, quo nullitatem nondum cognoscebat, & illa cognita mox reclamavit, dici posse videtur, quod talis ratificatio nequeat ipsum privare jure reclamandi. Non conveniunt omnes Authores circa modum, quo ratificatio fiat. Navarrus & Barbosa existimant quod Religiosus, qui recipit Ordines sub titulo paupertatis, censetur ratificasse professionem suam: alii e contra tenent, professionem & receptionem Ordinum esse duo valde diversa, atque adeo ex receptione Ordinum nihil posse concludi in favorem ratificationis. *Ex separatis*, inquit Glossa, *non fit bona illatio de uno ad aliud, neque quoad positionem, neque quoad remotionem.* Quidquid sit de hoc, semper tenendum id, quod dictum est, per nullam scilicet ratificationem sive tacitam sive expressam validam reddi posse professionem in se nullam, quando ratificatio facta est eo tempore, quo nullitas necdum fuit cognita. *Pontas.*

CASUS XVI. Lævius ingressus est Religionem, ut patris id præcipientis voluntati obtemperaret, eodemque motivo probationis annum transegit; quo tamen ad finem vergente declaravit patri, non posse se tantum imperare sibi, ut ad solemnem professionem procedat. Respondit pater, si professionem facere detrectet, non solum exhæritandum penitus, sed etiam tristem satis in paterna sua domo vitam posthac acturum. Lævius concepto ex hujuscemodi minis timore prostratus, simulque consilii inops de futuro vitæ statu, formulam professionis suæ nonnisi *oretenus*, melius dixeris, *fictè* pronunciavit, exarata simul & chiographo suo signata contra hanc suam professionem protestatione. Fluxit interim solidum quadriennium absque votorum renovatione, vidensque quintum quoque annum ad finem vergere, palam impugnavit professionem a se factam implorato Episcopo diœcesano, cujus jurisdictioni monasterium subjacebat. An Episcopus sola ac propria sua auctoritate, & inluper invito Superiore regulari, potest ex monasterio dimittere Lævium, eidemque potestatem facere, ut deposito Religionis suæ habitu sæcularem reassumat?

ꝑ. Quando Episcopo huic, cujus jurisdictioni monasterium Lævii subest, evidenter constat de veritate eorum, quæ a Lævio sibi fuerunt exposita, potest sola sua auctoritate, præsentem tamen aut saltem debite vocato Superiore regulari,

lari, declarare, Lævium non vere esse professum, nec teneri ad regulam, quam ore solum ac fictè, & nequaquam mente ac serâ voluntate professus est: professio enim ista certe nulla est coram Deo & hominibus, Conciliumque Tridentinum Episcopo ac Superiore regulari conjunctim attribuit potestatem cognoscendi super nullitate professionis. *Quicumque Regularis*, inquit Sess. 25. de regular. c. 19. *prætendat, se per vim & metum ingressum esse religionem... velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiat, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario, Pontas.*

CASUS XVII. Fabiola sæpius aspere admodum habita a parente suo, volente, ut religiosam vitam in aliquo virginum cœnobio amplecteretur; minis etiam additis, ipsam filiæ loco haud habendam posthac amplius, ni jubentis voluntati obsecundaret. Religionem ergo ingressa, ut rigidissimi patris asperitates evitaret, quinquennium & ultra ab emissâ professione in eadem monialis conversata est. Estne valida taliter dispositæ professio? Posito quod sit invalida, potestne defuncto patre reclamare? Dumque adhuc vivit in conventu, teneturne ad onera Religionis, ut reliquæ professæ?

ꝑ. Professio Fabiolæ est nulla; & si non voluntarie ac libere renovavit & ratificavit sua vota, non tenetur vi suæ professionis ad observationem votorum religionis. Quia vero non reclamavit intra constitutum quinquennium, in conscientia tenetur se quoad omnia externa conformare reliquis monialibus, ac si esset vere professæ, v. g. tenetur abstinere ab omni actu proprietatis, interesse choro, recitare & cantare Officium, omnesque alias obire functiones religionis; ne præbeat scandalum aliis, qui eam vere professam arbitrantur; & maxime quia hucusque gavisâ est, & etiamnum gaudet prærogativis, privilegiis, libertatibus ac commodis vere professarum. Si reclamasset contra professionem intra tempus a Tridentino constitutum, scandalum quaecumque demum ipsi imputari non posset. Cum autem beneficio temporis usa non fuerit, imposterum jure haud amplius reclamare poterit, etiam causas obtendat etiam justissimas. Excipiendus tamen casus est, quo per violentiam fuisset impedita a reclamatione debito tempore interponenda: tunc enim Fabiola metu cessante etiam lapsa quinquennio haud dubie ad proponendam ac probandam professionis nullitatem admitteatur. *Pontas.*

CASUS XVIII. Jacobus & Marcellinus fratres violentia ac gravi comminatione patris sui adacti religionem ingressi ac professi sunt. Defuncto autem post biennium parente reclamant contra professionem suam, supplicem libellum referentes Officiali diœcesano, qui sub requisitis formalitatibus vota eorum nulla declaravit, illosque in pristinum sæcularium statum restituit. Suntne legitime a votis liberati, licet nullum Roma rescriptum petierint aut obtinuerint?

g. In casu professionis solemnibus ad reclamationem professi annullandæ ex disciplina priorum sæculorum non erat moris recurrere ad Papam; sed penes Episcopum ejusque Officialem erat tota potestas & competentia judicandi de ejus nullitate. At vero nostris hisce temporibus absolute necessarium videtur rescriptum Pontificium. Et hinc absolutio a solo Officiali obtenta, sine rescripto Pontificio, plenam, certam, ac nulli prorsus controversiæ expositam securitatem reclamantibus præstare non potest. *Pontas.*

NOTA. Cum in ejusmodi reclamatione non petatur strictè dicta dispensatio, sed tantum declaratio, quod nulla erga religionem contracta fuerit obligatio; eo quod professio emissa fuerit contra ordinem & formam a sacris Canonibus requisitam; & consequenter agatur de simplici facto, ejus cognitio atque decisio denegari haud posse videtur Ordinario, aut ipsius Officiali.

CASUS XIX. Paula puella septemdecim annorum religiosum ordinem professæ est, coacta ad hoc per sævam disciplinam patris, hominis in iram ad furorẽ usque proni. Circa finem quinti anni ab emissa professione audit, jus sibi adhuc competere impugnandi vota sua; sed tempus, quod adhuc reliquum habebat ex quinquennio, brevius erat, quam ut ante finem ipsius anni hujus potuisset obtinere rescriptum a Sede Apostolica; hinc nonnisi sexto anno jam inchoato illud ex Urbe recepit. Interim tamen quinquennio suo necdum finito protestata est contra professionem suam juxta formam a jure præscriptam. Potestne ipsi prodesse quidpiam rescriptum Pontificium?

g. Sufficit quod Paula satisfecerit decreto Tridentini ante finem quinquennii; satisfecit autem per protestationem suam in forma debita factam. Concilium non sustulit impugnationem professionis post quinquennium, nisi ex præsumptione, quod post lapsum hujus termini quis mutaverit suam mentem, & vota ratificaverit. Estque præsumendum quod Paula obtinisset rescriptum a Sede Apostolica insinuando suam protestationem, si habuisset sufficiens tempus, occasionem, & libertatem. In similibus casibus

casibus ad tollendas omnes fraudulentias petendum est, ut exprimat in rescripto restitutio etiam post lapsum quinquennii; simulque maxime curandum, ut protestatio fiat in debita ac optima forma, adeo ut, si ea foret solum verbalis aut etiam scripta, non tamen facta coram Superiorissa monasterii, in quo professio emissa fuit, & coram Episcopo diœcesano, ac utriusque significata, nulla foret, utpote non conformis juri stabilito a Concilio Tridentino. *Pontas.*

CASUS XX. Amalia finito in quadam Abbatia suo novitiatu, communibus omnium suffragiis fuit admissa ad professionem; at vero Abbatissa solemnem votorum nuncupationem jam a semestri dissent ac procrastinat. Estne in arbitrio vel potestate Abbatissæ, differre tanto tempore ipsius professionem?

g. Quando Abbatissa nullam prorsus habet justam causam differendi professionem Amaliæ, injuriam certe ipsi facit, peccatque directe contra decretum Tridentini, imo in Deum quoque. Quodsi vero justam habeat causam, nullo modo peccat; cum Concilium solum dicat: *finito tempore novitiatus*, & non, *mox finito tempore*. Justæ autem rationes forent differendi professionem, si v. g. Novitia quamdam infirmitatem contraxisset, ut strumam, epilepsiam aut similem morbum, quem curari prius oporteret; si dos promissa necdum foret parata, & sine ea monasterium professam non posset alere; si necdum attigisset ætatem canonicam; si nondum fuisset satis instructa circa constitutiones ac regulas Ordinis &c. *Pontas.*

CASUS XXI. Telesphorus juvenis religionis habitum assumpsit in aliquo Ordine austerissimæ observantiæ anno ætatis suæ duodecimo; fuitque post novitiatum admissus ad professionem. Verum uno anno ab emissa professione nimis hæc Ordinis austeritates ad talem statum ipsum redegerunt, ut per integrum annum æger lecto decubuerit, & exinde etiam variis morbis frequentissime affligeretur, adeo ut nulla spes esset, ipsum longiori tempore posse sustinere rigorem regulæ. Completis nihilominus sexdecim ætatis suæ annis debuit renovare vel reiterare suam professionem; at ille pro certo habet, quod non aliter ratificaverit suam professionem quam ex principiis conscientiæ erroneæ, non obstante, quod sæpius ipsi dictum inculcatumque fuerit, ipsum non minus teneri & obligari suis votis in foro interno, ac alios, cum tacite sit professus, semperque hæctenus participaverit de privilegiis expresse professorum. Estne valida secunda ipsius professio? Teneturne perseverare usque ad mortem? Po-